

6

f)

EPISTOLA APOLOGETICA,
QVA ASTENÆI VRBIS
A DVCE BVLLONIO NVPER OC-
CVPATI CAVSSÆ CONTINENTVR, ET
illata illi à calumniatoribus crimi-
na verè diluuntur.

V E L

A D HERMANI VVINIBERGII H. C.
*Epistolam Responsio, qua duci Bullonio illata ob Aste-
neum à se occupatum crimina diluuntur,
& iusta occupationis illius
causæ docentur.*



Francofurti ad Mœnum,
IMPENSIS PAVLI BRACHFELDII, BI-
BLIOPOLÆ. ANNO MD. LXXII.

2

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO
100 St. George Street
Toronto, Ontario
M5S 1A5
Canada



UNIVERSITÄT HALLÉ
UNIVERSITÄT HALLÉ



HERMANO VVINIBERGIO ERVDITISS.

IURISCONSULTO VIROQUE CLARISS. S.



NIMVERO, mi Hermane, fueram hoc semper suspicatus fore, vt, quod ad me scribis de Buillonij Ducis actionibus, iudicium in tua Germania sermone omnium percrebesceret: Iamque quid ab Astenæi vrbs occupatione, versabatur in animo meo hæc cogitatio, exorituos subito calumniatores, qui suis sermonibus, cum in Sedaunensis Principatus possessionem parum auspiciatò venisse iactarent: cum tantum absit, vt Lotharingæ ducem, tentaturus num qua ratione huius status & detrimenta sarciri, & vulnera sanari possent, ad pacem & concordiam sollicitarit, vt etiam hac recentis vrbs illius expugnatione id mali grauius exacerbarit, & finitimi belli incendium magis quam antea inflammarit. Hic igitur à me petis, vt quonam modo tota se res habeat, planè ad te perscribam: idq; factu mihi eo facilius esse putas, quòd ego in Germaniam vnà cum duce Buillonio profectus, cum eo ipso domi belli que iam pridem versatus, atque eorum omnium, quæ in honorificentissima illa legatione insignia maxime ac memorabilia exstiterunt, testis spectator que adhibitus, de ijs verius fidelius que te facere certiorum possim. Atque hæc ipsa sunt tuarum ad me literarum verba. Tu verò, quæ prudentem virum decent, facis, qui assensionem in re non satis tibi cognita retineas, nec præcipiti quidquam iudicio eadere statuere, sed integrum te seruans, æquo defensoris purgationem animo audire velis. Quod si tum in cæteris actionibus omnibus, tum apud omnes id ex æquo fieri multo certè magis, quam de potètiorem & principum virorum (quorum rationes & consilia nos sæpe fugiunt) factis agitur, ea prudentia & moderatio adhiberi debet. Quanquam ad hanc rem quod attinet, quisquis Lotharingi Ducis in Gallicum regnum iniurias perspectas habuerit, in cuius nimirum perniciè nulla omnino causa inductus, sed sua tantum sponte, sola que animi libidine motus, impiam istam perduellium factionem suis omnibus viribus & opibus machinatus est atque aluit: ne-

A 2 que

que id solùm, sed aliquo post insanas illas Parisiensium molitiones tempore, quingentos Rosnæi ductu (in Medoluni obsidione Guisio duci demortuo suppetias laturus) Albanos immittere, in defunctum Regem aperto Marte inuasit: deinde ab huiusce Henrici nostri regno, Pontis Marchionem, filium natu maximū, validis copijs instructum non semel dimisit. Quisquis etiam literas ab eo ad Lingonenses, & ad alia quæ cum rege faciunt oppida, nec non ad multos Regiarum partium nobiles viros scriptas legerit; Itemque illius artes & coitiones hoc maximè consilio factas, ut veros fidelesque Regiæ Maiestatis seruos à sua in eam fidè atque in patriam pietate auerteret, intellexit: Quisquis præterea Gallici regni vrbes, Tullum, Verdunum, Villamfrancam, Marfallum, Vassæum, & loca ijs finitima ab eo aut vi aut dolo interuerfa usurpataque cognouerit: Postremò, quisquis ab eo ipso in Builloniam Principem tunc puellam ac pupillam, omni que ope destitutam factum impetum, indeque direptiones, raptus, incendia, & multiplicem ac effrænatam violentiam in tota illius ditione admissam: Denique Iametij arcem & fines occupatos, omni que immanitatis genere diuexatos audierit: Quisquis ergo hæc tot tantasque contumelias & indignitates, quæ omnibus sine dubio perspectæ sunt, cognitæ planè habuerit: Næ illi constituere hoc non erit difficile, An vir nobilis & præpotens, animo verè Franco præditus, fidelissimusque Regis seruus & acerrimus Regni vindex, qualis est sine controuersia Dux Buillonius: An vir, inquam, clarissimus ac fortissimus, matrimonij vinculo Buillonix Principi adstrictus, iustam ac legitimam gerendi cum Lotharingo duce belli causam habeat. Res per se ipsa loquitur, nec mihi eam fusius ac latius explicare, quidquam esset opus, nisi summo ijs quæ tantopere à me requiris, satisfaciendi desiderio tenerer: cum præsertim tua voluntas cum meo in iustam Buillonij ducis innocentix & existimationis defensionem, officio consentiat. Scio equidem quanti referat, Principibus clarissimisque viris dignitatem suam fartam tectamque aduersus calumnias conseruari, idque cum alijs omnibus in rebus & temporibus, tum verò maximè quum imperium aliquod primò
incant,

ineant, ne fortè sinistram aliquam de se opinionem vicinis
afferant, neve inquieti & rerum nouarum auidi, pacis inimi-
ci, & contentionum serendarum cupidi esse videantur. At ve-
rè hoc tibi confirmare possum, nihil me hæcenus eiusmodi
in tanto viro animaduertisse. Nam quanquam in hæc furori-
bus & bellis referta tempora incidere, maximamque vitæ sue
partem in armorum exercitationibus consumpserit: eum ta-
men quum à reformatæ religionis hominibus stans, ea tra-
ctauit, nullum vllum inuadendi libidine abreptum, sed se,
suarumque partium honores defendendi necessitate co-
actum, id suscepisse boni omnes mihi facillè assentiētur: quip-
pe quem naturâ ad literarū studia, & ad alias liberales ac man-
fuctiores, quæ paci vt plurimum comitantur, artes & exerci-
tationes comparatum esse sciant. Qui probè illum norunt,
hoc suo quidem testimonio comprobabunt, vt & actiones
illius omnes huius semper rei fidè fecere. Quòd si ad expeten-
dam pacem fuit vnquam propensus & paratus, eo certè po-
tissimum tempore fuit, quum & tot tantisque laboribus ex-
haustus, & diuturni carceris tædio confectus, & grauissimis
vulneribus fauciatus, à mortis periculo nec longè nec semel
abfuisse visus est. Nunquid igitur ex miserando illo statu nõ-
nihil tandem recreatus, & optatissimi huiusce matrimonij,
Dei beneficio, compos factus, laborem quieti, bellum paci,
& recens contracti cum iuuenula Principe (quam sua ipsius
vita cariorem habet) coniugis suauitatem, armorum strepi-
tū, ac sexcentis, quæ bellum secum inuehit, incommodis, ca-
sibus & periculis præferre debuit? Non est profec̃ id verissi-
mile. Possum equidem, quod ex ipsius sermone sapius exce-
pi, verè tibi hoc sanctèque affirmare, fuisse illi constitutum &
propositum, quum Germanorum copias per Lotharingo-
rum fines traduceret, quàm humanissimè fieri posset, sese ge-
rere, Lotharingiæ parcere, in eoque illius Principi gratifica-
ri: vt hoc beneficio illum sibi demeritus, gratiæ ab eo & fru-
ctus aliquid in posterum vicissim perciperet, si per matrimo-
nium, quod agitabat animo, nec prorsus desperabat, finiti-
mus illi fieret. Ita vt nihil grauius tulerit, quàm non potuisse
hoc vlla ratione, auctoritate & interdictione consequi, vt
Ger-

Germanorum ob Mōtis Belligardi Comitatus deflagrationē à Pontis Marchionis & Guisij ducis exercitu factam, exulceratorum & exacerbatorum incendiis obstaret. Id sanè nobili viro D. De Monstruert, in velitatione quadam apud Verdunum commissa capto sæpe testificatus est. Quem summa humanitate acceptum edocuit, hoc se matrimonium enixè consecretari: eique certò confirmat, si eò ex animi sententia pertingeret, nihil se magis optare quàm probi & officiosi vicini obsequia, quæ licerent ac decerēt, omnia Lotharigo Duci præstare, suumque consilium, studium ac diligentiam ad veteres contentiones finiendas & extinguendas conferre velle. Hæc autem consultò dicebat, quæ clarus ille vir (quem sciret gratia & auctoritate in Lotharingia valere) ad Principem suum postea referret. Hoc ipsum quoque fuit illius propositum & scopus, quum duas quasdam nobiles, & non infimæ in Lotharingia dignitatis fœminas in fidem suam accepit, earumque bonis & prædijs publico diplomate aduersus militum excursiones & iniurias cauit: quum etiam ad eas, omnibus humanitatis notis insignes literas scripsit, in quibus consilia & cogitationes suas ad pacem maximè spectare non significabat solùm, sed apertè etiam declarabat: atque in suo illo, quæ moliebatur & parabat, transitu, hostilia minimè omnium, quoad eius fieri posset, facturum: Immo verè ijs omnibus, quos hoc beneficio non indignos iudicaret, & à quibus id rogaretur, pro virili gratificaturum.

Nullò est igitur modo vlli homini dubitandum, quin Lotharigo Duci de Buillonij ducis mente animoque omnino constiterit. Quod quidem ille non modò non pacis conciliandæ ergò amplexus est, sed apertè etiam ostendit, grauius se & iniquo animo matrimonium hoc tulisse, libentissimeque illud fuisse disturbaturum, si, quàm libenter cupiebat, tam facile id efficere potuisset. Cumque spe sua frustratus debuerit suo potius animo temperare, quàm morem gerere: præsidia tamen in vicinis collocata vrbibus duplo auxit, à quibus in Sedaunensium agros & pagos frequentiores atque infestiores, quàm antea, excursiones fiebant. Quin eo ipso die, quo dux Buillonius Astenæum occupaturus, in viam se cum suis dede-

dederat, Lotharinga cohors vniuersum è quodam Sedaunen-
sis agri vico (vulgo Monffellam vocant) armentum abri-
puerat.

Præterea, tantum abest, vt dux Lotharingus de pace, ad
quam fuerat à clientum suorum nonnullis diligenter sollici-
tatus, cum Rege facienda quidquam cogitauerit, vt contra
filium suum Valdemontium Comitem cum quantis maxi-
mis potuit pedestribus, equestribusque copijs immiserit:
quibus ille instructus se ad Mayennensem Ducem adiunge-
ret, & vnà cum Pontificijs copijs, faciliorem Parmensi duci
in Gallia fines aditum præstaret. Ipse verò non paucis, quas
vndiq; corradere potuerat, copijs armatus, in extremos Bur-
gundia fines contendit, Corffæum & Falciam (sic enim vul-
go appellantur) duo illic sita propugnacula, si posset, expu-
gnaturus.

Hic igitur, amabo te, parumper confiste, & mecum dispice
ac iudica, cum dux Buillonius hinc quidem futura suæ con-
iugis ditionem tot casibus, tot excursionibus & ruinis patere
videret: Illinc verò in suum regem tam multos infestosque
hostes, tantam etiam rerum, quibus vix ac ne vix quidem par-
esse poterat, molem ac varietatem incumbere sciret: Cogita
ergo, qualem se Dominus Buillonius hic præstare, quid etiã
statuere ac tentare debuerit. Quid enim hominum plerique
de illo aut sensissent, aut dixissent, si is qui est nõ vulgaris (ne
quid iam maius dicam) copiarum ductor, & qui nuper tantam
existimationem in Germania collegerat: Si is adeò, quòd
fuerit apud Regiam maiestatem altus, & ad honores euectus,
tantopere illius obseruantia & obsequio præ cæteris omni-
bus addictus & obstrictus est, Regi tam grauitè laboranti
nullam prorsus opem tulisset, sed manibus cecidisset & ani-
mo: atque medium se seruare, & quasi arbiter inter vtramque
partem datus, otiosus fuisset, ac sceniorum huius tempestatis
spectator, & à rebus gerendis omnino abstinuisset? Hoc igi-
tur fuit illius munus, hæ partes, tum fidelem ac promptum Re-
gis sui laborum adiutorem, tum diligentem ac strenuum
sponsæ suæ finium propugnatorem se præbere, ad negotium
hosti faceendum, ad eum à suscepto suo consilio persequen-
do de-

do demouendum, ad reuocandas denique à regno & Rege, cuius exitio imminet, illius vires & copias. Quid hinc habet Lotharingus, quaeso, quod conqueratur? Clamitat, ais, Astenæum sibi ereptum, totiusque ditionis suæ statum funditus perturbatum & conuulsum ab isto adueua fuisse, quem contumeliosè turbulentum hominem, belli facem, & pacis hostem appellat. Verùm in quem magis hæc maledicta probrosæque appellationes quadrant, quàm in perniciosos ipsius consiliarios? Nam cum is probo se & ingenuo animo Principem semper antea probarit: perfidis quidem certè illis ac nefarijs consiliarijs vnus belli huius adeo funesti calamitas verè assignanda est, qui Principis sui candore & simplicitate sceleratè abusi, eum citra vllam iustam causam in dirum istud bellum coniecerint: qui eum Gallia Regi, cuius sororem duxerat, Regi, inquam, domino suo, cuius videlicet cliens erat ac beneficiarius, infensum, infestumque reddiderint: qui denique eum ipsum ad obsidendum Iametium, ac tenellæ Principis, pupillæ, cognatæ ad eò suæ fines contra omneius diuinum & humanum inuadendos diripiendosque pepulerint. Iniustissima igitur hæc Iametij aduersus Builloniam Principem expugnatio, & aliarum Gallia urbium per Lotharingum ducem vsurpatione, Astenæi occupationem iustissimam profectò, & omnium maximè legitimam efficiunt. Quin, si vniversus Lotharingia ducatus ea etiam ratione à nobis occupatus teneretur, nemo sanè id non iustissimè factum esse iudicaret, & quidem iustissimo Dei iudicio, qui Principes bella iniqua, minimeque necessaria suscipientes ita vlcersi multareque solet. Nam ijs sæpe contingere videmus, vt dum in alienos fines irruunt, pacemque publicam conturbant, sua ipsi tandem amittant, suisque bonis ac dignitatibus omnibus deturbentur: grauissimæ illæ, quam Deus per Prophetam suum pronuntiat, sententiæ admodum conuenienter, qua dicitur, Quum tu consummaueris esse prædator, prædationem patieris.

Isaię cap. 33. ver. 1.

Porro hinc addam, esse quòd dux Lotharingus ex hoc detrimento prudentior factus, in posterum sibi cauere discat. Ille enim hanc prouinciam nemine hæctenus resistente, pro
animi

animi libidine semper diuexauerat. Nec ita magnum aut ar-
duum erat ducatus sui finem noua urbium accessione propa-
gare. At Deus istam insolentiam inhibere voluit, & hac A-
stenæi occupatione frænare: nec non eum docere, neminem
hominum spernendum: & quod abnectissimum atque infir-
missimum præ nobis videbatur, id profectò ipsum ad nos de-
primendos, nosque ad nostræ imbecillitatis cognitionem
adducendos satis magnum esse. Cæterum ex inopinata Aste-
næi urbis expugnatione satis ille discit, quanta sit vicini sui
Buillonij Ducis virtus ac moderatio. Neque enim, verè qui-
dem, dici potest, vllam vnquam urbem ex improviso vsur-
patam fuisse, in qua minus indignitatis & contumeliæ ad-
missum fuerit. Equidem victoris militis quem nempe victæ
urbis direptio, impediri non potest. Id tamen non sine di-
sciplina & moderatione aliqua factum est: Imprimis verò
puellarum & matronarum honos integer atq; illibatus per-
mansit: vt in tanto numero ne vna quidem de vi sibi facta
conquesta fuerit. Præfecti urbis vxor & filia omnes suo te-
stimonio confirmabunt, quanta comitate à duce Buillonio
acceptæ, quanta etiam benignitate tum liberæ, tum pretio-
sissimis quibusque rebus suis instructæ ab eo ipso dimissæ
sint. Nec quisquam aut è ciuibus, aut præsidiarijs militibus
interfectus est, præter eos, qui in urbis occupatione vim vi
repellere conati sunt. Immo nisi occupationem obsidio se-
quuta mox & quasi è vestigio fuisset, non tanta, quanta post-
ea contigit, rerum confusio, militumque intemperantia vi-
sa vnquam fuisset. Dux enim eò se quamprimùm conferre
cogitabat hoc animo & consilio, vt omnia illic pro dignitate
ac necessitate constitueret. Sed repentina obsidio tantam re-
rum perturbationem ac licentiam inuexit, vt nullum extem-
pore illi remedium adhiberi potuerit.

Quæ cum ita sint, tu, mi Hermane, petulantes quosdam
& malè sanos homines, qui de duce nostro inconsideratius
quàm decet, loquuntur, rei veritate fictus coerce, & tanquam
in gyrum rationis ac modestiæ adducto: Ipseque potius mi-
hi amico tuo crede, cui profectò aut rebus veris falsi quid-
quam

B

quam

quam affingere, autius ex iniuria facere religio esset. Illudque penitus persuasum habeto, Buillonium ducem pacis amantem esse, reque ipsa probaturum semper, quanta facilitate & alacritate animi ad concordiam spectabit, pacisque conditiones subibit, quum dux quoque Lotharingus à bello se prorsus abhorrere probauerit. Si suum sibi restitui cupit, alienum ipse vicissim restituat. Postrema oppidi Astenæ obsidio, & illic facta rerum hominumque iactura, cum satis commonefacere debent, non esse quod speret, illud se sine maxima hominum strage, sine immensis etiam sumptibus, & grauissimis detrimentis recuperare posse, quippe quod validioribus quàm antea præsidijs instructum, ac nouis propugnaculis munitiõibusque circumuallatum, ad acriorem defensionem paratissimum euaserit. Per eum vnũ stabit, quo minùs miseri ciues pristina quiete fruantur. Quin hoc addam, D. Buillonium eo esse ingenio præditum, ijs etiam consiliarijs circumseptum, vt, si certò hîc constaret, Lotharingum ducem de pace vel tantillum cogitare, spes esset fore, vt præteritarum iniuriarum & discordiarum memoria, breui perpetua obliuione deleretur, & pristina concordia mutuò fouenda ratione reuocaretur. Infelix & ærumnosus ex vtraque factione populus, qui amantissimè antea & coniunctissimè vixit, omni voto ad pacem aspirat. Quòd si tu quoque aliquid eò conferre potes, hoc tenta, & omnem industriam tuam ad eam præcipuè rem conuerte, in qua promouere aliquid posse tibi ipse videberis. Intercedit autem tibi aliquando nonnulla cum vicinis Principibus & ducis Lotharingi propinquis familiaritas. Potes equidem meo peticulo sermonem hac de re instituere, & illius quasi fundamentum quoddam iacere. Id pro certo habeto, operam te frustra haud nauaturum, ac si Dux Lotharingus ad pacem vel minimùm propendere præ se ferat, Ducem Buillonium toto in eam corpore atque animo incubiturum. Æquitas, Iustitia, & populi calamitas ad id officij te inuitant & cohortantur. Tum virtus, eloquentia & auctoritas tibi minimè defunt. Quod me in spem adducit, vt, si ad id aggredieris, non


non frustra sis laboraturus, sed rem Deo gratissimam, tibi
honorificam, toti etiam Ecclesiæ pernecessariam facturus.
Vale, Vir clarissime, & me, quod facis, amare
perge. Idibus Ianuar. 1592.

F I N I S.



non fuit in laboribus, sed in Deo gratiam, tibi
honoribus, tot enim hodie potestatem habent
Vale Vindictam, & me, quod fecerunt
perge libere laus, & c.

F I N I S



Umg. VI 67

[Dissertationes

miscell. Vol. 21.]


ULB Halle


3

002 402 475



A-20





6

f)

EPISTOLA APOLOGETICA,
QVA ASTENÆI VRBIS
A DVCE BVLLONIO NVPER OC-
CVPATI CAVSSE CONTINENTVR, ET
illata illi à calumniatoribus crimi-
na verè diluuntur.

V E L

AD HERMANI VVINIBERGII H. C.
*Epistolam Responso, qua duci Bullonio illata ob Aste-
næum à se occupatum crimina diluuntur,
& iusta occupationis illius
caussa docentur.*



46

Frankofurti ad Mœnum,
IMPENSIS PAVLI BRACHFELDII, BI-
BLIOPOLÆ. ANNO MD. CII. XCII.

